



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput CLII. Septem causæ excusantes à restitutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

consequens est peccare creditorem, solutionem istam accipientem, ob rationem proximè allatam. Proinde dum debitor non est omnibus solvendo, solvat 1°. habentibus jus præferentiæ, deinde reliquum inter alios jure pares dividat.

1455 Dixi 1°. *qui ultro solvit*: quia si creditor, etiam tempore posterior, debitum suum ante alios (non hypothecarios) exigit, sive in judicio, sive extra, probabile est debitorem posse (ante juridicam bonorum suorum arrestationem) imò & debere ipsi solvere. Quia ratione diligentiae suæ in petendo, jus quoddam præferentiæ acquirit, meliorisque evadit conditionis. *L. pupillus ff. quæ in fraud. credit.* Unde sumptum videtur axioma: *Vigilantibus, & non dormientibus jura subveniunt.* Ita Bannez, Fagundez, Wiggers, Lessius, Dicastillo, &c. apud Dianam loco citato resol. 11. Verùm licet Authores isti existiment posse ipsi integrè solvere, de hoc ego dubito. Quia hoc non probat melior ipsius conditio.

1456 Dixi 2°. *nisi forte paupertas unius foret tanta*, &c. quia licet ordinariè prius solvendum non sit pauperi, quàm diviti (eò quòd solutio debiti ex justitia fiat commutativa, quæ non attendit nisi satisfactionem juris alterius) si tamen creditorum personalium unus in gravi sit necessitate, non alter; charitatis (aliam virtutum reginæ) lex & ordo permittere videtur, ut ipsi præ aliis solvantur, saltem ex bonis autoritate publicâ non arrestatis. Ita Sylvester, Medina, Salonius, Arragonius, Layman, & expressè S. Thomas opusc. 73. c. 18. cujus sententia, uti magis pia, ita magis probabilis videtur, quàm opposita Lessii, multorumque Recentiorum. Et ratio est, quia cum prædictus ordo præferentiæ in solis humanis Constitutionibus fundetur, potiùs quàm in jure aliquo naturali (exceptis saltem paucis casibus) rationaliter intelligitur, salvo charitatis ordine, qui nonnunquam meritò præponderat, exigitque, ut qui longè plus indiget, aliis non ita indigentibus præferatur, saltem in extrema gravique necessitate.

CAPUT CLII.

Septem causa excusantes à restitutione.

1457 **P**rima causa est bona fides, seu ignorantia (quamdiù durat) quâ inculpate quis ignorat, alienam esse rem, quam bonâ fide possidet. Hujusmodi tamen ignorantiam habere non censentur ementes à militibus calices, vel ornamenta sacra, vel à vilibus personis gemmas, aut vala pretiosa.

1458 Secunda, physica, vel moralis impotentia debitoris, si sit absoluta. Ad moralem spectat necessitas extrema ipsius, vel parentum, filiorum, fratrum, uxoris, quamdiù durat, non obstante quòd creditor sit in pari necessitate, modo in eam conjectus non fuerit ip-

sâ rei suæ subtractione, v. g. unici panis, quem habebat in fame extrema. Tunc enim reddere tenerur, licet extremam & ipse famem patiens. Quia licet in tali necessitate omnia sint communia, melior est tamen (cæteris paribus) conditio possidentis rem suam. Extra necessitatem extremam, cum omnia non sint communia, debitor solùm excusatur, dum creditor esse non censetur rationaliter invitus, v. g. dum restituere non potest, nisi conjiciatur in necessitatem tam gravem, ut in ea creditor teneatur ipsi succurrere. Si tamen creditor in pari foret necessitate, debitor (licet in gravi necessitate constitutus) ipsi deberet restituere, vel solvere (quidquid in contrarium dicat Diana p. 11. tr. 5. resol. 13.) quia (saltem extra necessitatem extremam) potior est conditio creditoris, quàm debitoris, ob jus quod ipsi competit in debitorem, licet hic sit in possessione.

Si tamen debitor ex hoc decidere deberet notabiliter de statu suo justè acquisito, non ita creditor, nec ad istas angustias redactus sit culpâ suâ, v. g. luxu nimio, comessationibus, ludis, luxuriis, prodigalitatibus, &c. sed aliquo infortunio; debet quidem, ut restituat, statum suum diminuere aliquater infra alios ejusdem fortis (sepositis quibusdam gravioribus incommodis, quæ hinc aliquando oriri possunt) quia plenum statum alienis conservare, rationale non est, saltem dum spes satis propinqua non est, quòd absque tali diminutione satisfacere poterit: non tamen adeò notabiliter, ut de statu nobili ad plebeium transiret, vel ignominiam magnam incurreret.

An autem gravis necessitas spiritualis, seu grave animæ periculum, v. g. desperationis, prostitutionis filiarum, &c. à restitutione excuset? Plures affirmant. Sed cum in ejusmodi necessitate quisque sibi consulere possit, aliisque viis ab animæ periculo liberari; debitor non potest tunc restitutionem penitus omittere, si periculum istud perpetuò duret, licet Tamburinus oppositum probabile putet cum Rebello.

Tertia causa à nonnullis assignatur, bonorum cessio coram Judice. Verùm hæc id quidem habet privilegii ex jure civili, ut debitor pro debitis non possit incarcerationi, seu aliter in exteriori foro inquietari; in foro tamen conscientiae solùm excusat pro ratione impotentiae solvendi, quam supponunt Leges, vel Principes istud privilegium concedentes. Unde non dubitandum, quin ii qui bonis cedunt, solvere teneantur in utroque foro, si ad pinguiorem fortunam redierint. Quod enim aliqui Jurisperiti aiunt, ignominiam ipsorum, cessione conjunctam, solutionis loco subrogari, nec fundatum est, nec rationi consonum: quia æquum non est, ut creditores amittant jus suum, propter ignominiam ipsorum, cui nullam dederunt causam. Nec ignominia cessione illi conjungitur,

tur, ut debitum extinguatur, sed ne passim ejusmodi cessiones cum Reipublicæ damno intendantur.

1462 Cæterum Mercatores probi, qui absque culpa sua calamitosè coguntur cedere bonis, optimâ conscientia possunt Legum beneficio uti, ne carceribus absumantur (ait Soto L. 4. in fine.) Ob istud enim beneficium instituta est cæremonia cedendi bonis, ut habetur L. 1. Cod. qui bonis cedere possunt; ac subinde possunt licitè illa retinere, quæ sibi leges permittunt, puta instrumenta suæ artis, quotidiana alimenta, menstrua, atque annua. L. qui bonis ff. eod. tit. & est habenda ratio ne egeant, ut sanctè cavetur L. in condemnatione ff. de reg. jur. Illi verò qui negotiationes subdole & vafre vel ingrediuntur, vel exercent, non sunt permittendi. Sunt enim, qui cum nihil in bonis habeant, creditò undique corradunt, unde fidem aliquam sibi arrogent, quod gallico vocabulo ipsi vocant *credit*; neque eâ fraude contenti, vivere lautè, atque in dies lautius perseverant. Quæratione eas alienum ingens constant, quo postea pressi, in sacrum aliquod se recipiunt. Hoc profectò pestilentissimum est latrocinii genus, neque essent isti a Republica ferendi, sed cum latrones pleclendi.

1463 Tales proinde digni sunt, qui ad mendicium redigantur: quia vix, aut ne vix quidem aliter alimenta merentur, nec quidquam occultè sibi possunt retinere. Unde meritò Facultas Lovaniensis, ad instantiam Episcopi Gandavenfis, hanc propositionem anno 1677. reprobavit: *Qui cessit foro, potest sibi retinere bona, quibus indiget ad sustentationem familia, ne indecorè vivat, licet debita, pro quibus cedit, sint ex injustitia, & notorio delicto contracta.* Quam etiam propositionem Episcopus Namurcensis anno 1679. cum Synodo sua meritissimè proseripsit.

1464 Nec verò cessionis privilegium iis conceditur, qui luxuriosè, & prodigè vivendo, bona sua dissiparunt; imò tales ut fures castigari Pius V. præcepit. Et similes in Belgio nostro per Edictum de 5. Octobris 1731. habentur fures publici, boni communis inimici, & laqueo digni. Unde nec ullâ gaudent immunitate, sunt infames, & Presbyteri qui illis assistunt, bona ipsorum occultando, temporalium apprehensione puniuntur. Zypæus jur. Pontif. de solut. l. 3.

1465 Meminisse etiam debent miserabiles illi, quibus negotiatio infortunata fuit, & inculpatâ calamitate in pauperiem redacti, ac cessionem facere coacti, non ideò se posse postterum otari, sed laborando, vel alio sibi possibili modo fatagere debent, ut se reddant solvendo. Quia obligatus ad finem, obligatur ad media, saltem ordinaria, sine quibus ad finem non potest perveniri. Nec à solutionis obligatione liberos se existimare debent, ex hoc quòd bonis cedendo, cum creditoribus composuerint, v. g. pro 20. vel 30. in 100. Cum enim compositionem illam creditores quasi coactè & involuntariè faciant, ut à miserabili homine extorqueant quòd possunt,

Tom. II.

per eam censendi non sunt juri suo renuntiasse quòd habent ad reliquam debiti partem. Ad quam proinde debitores tenentur, si ad pinguiorem fortunam venerint.

Quarta causa, excusans à restitutione, seu 1466 solutione debitorum, secundum aliquos est professio religiosa. Quia ex una parte professio ista, insolutis debitis facta, valida est, nisi obstant specialia Statuta alicujus Religionis (uti obstant Statuta Religionis nostræ.) Tamen enim Sixtus V. per Bullam editam anno 1587. eam annullaverit; Clemens VIII. per Bullam posteriorem, editam an. 1602. annulationem revocavit. Ex alia verò parte, professio validè facta Religiosum incapacem reddit ad solvendum, ob paupertatis votum, quò nihil sibi acquirere potest, nec ex rebus Monasterio acquisitis disponere, sine licentia Prælati, qui eam concedere non tenetur, si debitorum conscius non fuerit ante professionem.

Si tamen ante professionem habeat unde 1467 solvat, ante eam solvere tenetur. Et si manens in sæculo comparare possit unde solvaret, variant Doctores, an eum in finem in sæculo manere debeat? Affirmant Gerson, Medina, Navarrus, Malderus, Wiggers, Sylvius, Layman, &c. etiamsi ad id necesse foret absolute abstinere à Religionis ingressu. Verùm hoc negant Paludanus, Angelus, Sylvester, Cajetanus, & alii, pro se allegantes S. Thomam q. 189. a. 6. ad 3. Alii, ut Lopez, Suarez, Azorius, Lessius, Dicastillo, &c. mediam viam ineuntes, aiunt, non teneri omnino abstinere, nec tamen ad longum tempus differre, bene ad duos vel tres annos.

Ex tribus hisce sententiis prima videtur 1468 probabilior. Tum quia æquitas non patitur, ut religiosum statum quis amplectatur, cum gravi damno ac præjudicio tertii, attento quòd rationabile non videatur prætermittere id ad quòd justitia naturalis obligat, ob rem quæ nec juris est naturalis, nec divini, nec humani, sed solius consilii. Tum quia stuprator virginis, sub promissione matrimonii, tenetur eam ducere, ab ingressuque Religionis abstinere, ut satisfaciât promissioni onerosæ: similiter ergo tenetur ab ingressu Religionis abstinere, ut satisfaciât aliis debitis justitiæ, quando iis aliter satisfacere non potest. Tum denique quia debitum pietatis erga parentes obligat ad diù differendum, imò & subinde ad prætermittendum Religionis ingressum, ad subveniendum gravi necessitati parentum, uti docet S. Thomas loco citato in corp. Similiter ergo debitum justitiæ erga creditores, &c.

Nec S. Doctor huic assertioni nostræ contra- 1469 rius est loco objecto. Dum enim ibi dicit, quòd propter pecuniam persona liberi hominis non obligatur, sed solum res: quia persona liberi hominis superat omnem estimationem pecunie. Unde licitè potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare, nec tenetur in sæculo remanere, ut procuret unde debitum solvat. Quia, ut bene Sylvius ibi, subinteligit sanctus Doctor, quando non est probabilis spes, quòd in sæculo remanendo, de factò procurabitur, unde solvatur debitum. Tunc enim persona liberi hominis non obligatur ratione sui, sed

Zzz

ratione rei, seu boni habitus in re, vel in spe. Et ideo dum nullum est bonum habitum, nec speratum, non debet, propter debitum pecuniarium, omittit Religionis ingressum. Ubi verò spes probabilis est, quòd, manendo in saeculo, comparabitur facultas solvendi debitum, ipsemet S. Doctor ibidem satis innuit prætermittendum Religionis ingressum, dum permittit, quòd ille qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud licite prætermittit, facultate existente: Et ideo si aliquis sit obligatus ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licite prætermittit, ut Religionem ingrediatur.

1470 Quapropter in sacris Canonibus, & Summorum Pontificum Constitutionibus prohibetur, ne ingenti aere alieno, supra vires facultatum suarum gravati, vel gravati rationibus, seu rationibus reddendis, ad religionem habitum admittantur, priusquam ab eis se expedierint. Quòd si Religio, vel Monasterium aliquem ejusmodi scienter admittit, tenetur debitis ipsius satisfacere.

1471 Quarta causa excusans à restitutione, est compensatio, seu, ut dicitur L. 1. ff. de compensat. debiti & crediti inter se contributio, modo debitum & creditum sit æquale, quoad certitudinem & quantitatem, & non fiat in deposito & commodato. Hoc enim Leges non permittunt. Habet verò locum in rebus functionem recipientibus, sive ipso usu consumptibilibus, ejusdem rationis, ut dum ex empto debes mihi centum, & ego tibi totidem ex mutuo. Dico, ejusdem rationis: quia si res utrimque debita sint diversæ rationis, ut si mihi debeas equum, & ego tibi pecuniam, compensatio locum non habet, secundum Leges; quamvis retinere possim quod tibi debeo, donec solvas quod debes mihi.

1472 Sexta causa est compositio facta cum Summo Pontifice (Diana p. 4. tr. 4. resol. 112. addit, vel Episcopo) & obtenta per Bullam compositionis, quæ sub certis conditionibus conceditur habenti debita incerta, vel bona male acquisita, quorum dominus ignoratur, ut possit illa retinere sibi. Quia tamen Pontifex non est dominus, nec dispensator, sed potius tutor, seu defensor bonorum fidelium, & quæ jure naturæ debita sunt innocenti, Pontifici auctoritate ipsi nequeunt auferri, compositio illa fieri non potest cum præjudicio tertii innocentis, nec ista est intentio Pontificis. Unde si postea dominus compareat, reddi debet quod est residuum, vel id ex quo alius factus est ditior.

1473 Septima causa, pro foro conscientie, est, si debitor, solvendo æquale debitum creditori sui creditoris, in se transulerit jus quod ille habebat in creditorem suum. Quia tunc locum habet compensatio. Dico, pro foro conscientie: quia secundum Leges non procedit in foro externo, nisi fiat de consensu immediati creditoris, vel viâ juris, vel res quæ solvitur mediato creditori, fuerit ipsi obligata, sive expressè, vel tacitè hypothecata.

CAPUT CLIII.

Octava causa à restitutione excusans, conditionesque ad eam requisita.

1474 Octava causa excusans à restitutione, est condonatio, seu remissio, concessa ab eo cui faciendâ erat solutio vel restitutio. Cum enim sue quisque rei moderator sit & arbiter L. in re mandata Cod. mandat. pro libitu remittere potest quæ sibi debentur, nisi Lege prohibeatur.

1475 Verum ut valida sit remissio, seu condonatio, necessariæ sunt nonnullæ conditiones. Prima est, ut qui condonat, condonare possit; quod solus ille potest, qui donare potest. Unde valida non est condonatio facta à filio - familias, de iis quorum non habet administrationem; nec facta à pupillo, vel minorenni, vel Religioso professo, vel fatuo, vel prodigo per Magistratum tali declarato. Nec facta à famulo, Procuratore, vel Commissario, de

iis quæ debita sunt committenti, vel domino suo, absque facultate de eo sibi concessa. Nec facta à Clerico beneficiato de proventibus beneficii sui, debitis à consanguineo, vel alio non paupere: quia non est eorum dominus, saltem dominio abscisso, sed ad summum dominio subjecto oneri applicandi in pauperes, seu pias causas, quæ superfluum honestas sustentationi suæ.

Secunda conditio est, ut condonatio non fit à 1476 jure impedita, seu annullata, prout ex Statuto Concilii Tridentini sess. 24. c. 12. de reform. irremissibilis est restitutio distributionum receptarum à Canonico, pro tempore quo divino Officio non interfuit. Et ideo eas retinere non potest, quamvis restitutionis remissionem obtineat à Capitulo: ut pote quod remittendi non habet potestatem. Similiter Gregorius X. in Concilio Lugdunensi prohibet Episcopis, seu aliis Visitationibus, munerum receptionem in visitatione, sub pœna reddendi duplum Ecclesiæ à qua ceperint, nullâ eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratiâ valuerit. Refertur cap. exigat de censib. exaction. & procurat. in 6. Bonifacius quoque VIII. cap. statutum de script. in 6. postquam Judicibus, à Sede Apostolica, vel ejus Legato delegatis prohibuit aliquid à partibus recipere; nisi, &c. §. siquid autem, addit: Siquid autem contra Constitutionem presentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur; nullâ eorum, quibus restitutio faciendâ fuerit, remissione ullatenus profuturâ eidem.

Tertia conditio est, ut condonatio liberè fiat, 1477 ita ut nec extorta sit vi aut metu, neque dolo debitoris. Qua de re S. Bernardinus Senensis ser. 40. in Sabbato post Dom. 4. Quad. a. 2. c. 3. Ad hoc (inquit) quod remissiones liberè fiant, & valeant apud Deum, tria sunt necessaria ex parte indulgentiam largientis, seu remissionem facientis. Primo, quod non fiant ex metu, sicut indulgere ac remittere solent subditi terrarum dominis, aut quibuscumque potentibus, quos creditores formidant, si ad petitionem eorum non remittant debita sua. Secundo, quod non fiant ex recundia, sicut plerumque usurarii fieri solet. Nam si vel alii mediatores, vel Confessores, sub pietatis discretionisque prætextu, creditoribus talibus utantur verbis vel modis, quod illi ex recundia moti, atque coacti, non ex libera voluntate, partem, vel totam remittunt; coram Deo atque non valet. Tertiò, quod non fiant ex desperatione: nam plerique indulgentiæ remittunt partem, vel totam, quia de satisfactione, & solutione desperant. Fit conicit S. Antoninus p. 2. tit. 2. c. 4. §. 1. Ubi certum & clarum est debitum, ratione usurarium, vel alterius usurpationis, nisi creditor liberaliter remittat illud quod remittit, etiamsi de mille decem tantum remitteret, si hoc facit quia putat se aliter non posse residuum habere, nihil valet illa remissio (facta ex publico pacto) quoad animam. Unde cum mercator infortuna passus fallit, & occultans multa ex bonis suis mobilibus, ut non perveniant ad manus creditorum, querit compositionem cum eis de minori quantitate quam debeat, puta promittit respondere singulis creditoribus ad rationem 15. solidorum pro libra, cum tamen possit totum dare, vel cedere bonis, cui compositioni assentiunt creditores. Et ita recipientes liberant eum de residuo: certum est quia quoad Deum adhuc tenetur de residuo: cum illi non sponte, sed coactè fecerint illam remissionem, volentes potius illâ parte carere, quam toto. Quinimò est cederet bonis totaliter, nihil sibi reservando, & non sufficit bona illa ad satisfaciendum; si postea pervenerit ad pinguiorem fortunam, tenetur de residuo. Extrav. de solut. cap. Odoardus. Illa itaque compositiones & condonationes à debitoribus utrumvis fraudulenter & dolose, longisque tergiversationibus extorqueantur. Fraus autem & dolus alicui patrocinari non debet, cap. officii de restam. l. l. l. hares meus ff. de condit. & demonstrat.